

gnatus, qui me et se hisce inpedivit nuptiis !  
neque mi in conspectum prodit, ut saltem sciam  
quid de hac re dicat quidve sit sententiae.

5 abī, vise redieritne iām ān nondum domum. 445

*GE.* eo.— *DE.* videti' quō īn loco res haec siet :  
quid ago ? dic, Hegio. *HE.* ego ? Cratinum censeo,  
si tibi videtur. *DE.* dic, Cratine. *CRA.* mene vis ?  
*DE.* te. *CRA.* ego quae in rem tuām sint ea velim facias.  
mihi

10 sic hoc videtur : quod tē ābsente hic filius 450

egit, restitui in integrum aequomst et bonum,  
et id impetrabi'. dixi. *DE.* dic nunc, Hegio.  
*HE.* ego sedulo hunc dixisse credo ; verum itast,  
quot homines tot sententiae : suo' quoique mos.

15 mihi non videtur quod sit factum legibus 455

rescindī posse ; et turpe inceptust. *DE.* dic, Crito.  
*CRI.* ego amplius deliberandum censeo :  
res magnast. *CRA.* numquid nos vis ? *DE.* fecistis  
probe :

20 incertior sum multo quam dudum.— *GE.* negant 460

redisse. *DE.* frater est exspectandus mihi :  
is quod mihi dederit de hac re consilium, id sequar.  
percontatum ibo ad portum, quōād se recipiat.—  
*GE.* at ego Antiphonem quaeram, ut quae acta hic sint  
sciat.

sed ēccum ipsum video in tempore huc se recipere.